



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Adversvs Omnia Catabaptistarvm Prava Dogmata Heinrychi Bullingeri lib. IIII

Bullinger, Heinrich

Tigvri, 1535

VD16 B 9759

Traditiones humanae sunt in duplici differentia

urn:nbn:de:hbz:466:1-35433

pter dominū, siue regi tanquam præcellenti, siue præsidibus ab eo missis, ad uindictam quidem nocentium, laudem uero recte agentium: quoniam sic est uoluntas dei, ut benefaciendo obturetis os hominibus ignorantibus &c. SIMON. Non ita dudum docuistis ex Esaia & uerbis Christi frustra coli deum mandatis & præceptis hominum: iam ex Petro diuersum imò contrarium adseritis, parendum scilicet esse omni humanæ ordinationi. IOIADA. Huma-

Traditiones
humane in
duplici sunt
differentia.

frange frange
hinc pueri int
augmst hinc

ne traditiones seu cōstitutiones bifariam dici possunt.

Quædam in hoc constituuntur ut cultus sint dei, quas homines alijs præscribunt, quasi necessarias ad salutem, quas si homo omittat, peccet: si fecerit, deum demereatur. Et his mandatis, quæ pura figmenta sunt hominum, frustra colitur deus. Sunt rursus cōstitutiones

quædam magistratuum de hereditatibus, de proprietatibus, de uenditione, locatione, de contractibus publicis, & quidquid huius generis est de quibus principes & magistratus ad pacem & tranquillitatem publicam statuunt. Hisce omnibus omnes obedire tenentur. Et de talibus loquitur Petrus, ut ex uerbis eius satis apparet. Atq; hæc non ethnicis, sed Christianis passim dispersis scribit Petrus 1. Petri 2. Ad Titum 3. capite sic habet Paulus: Admoneto illos, ut principibus & potestatibus subditi sint, ut magistratibus pareant, ut ad omne opus bonum sint parati, ne de quoq; male dicant

maledicant &c. Ad Romanos 13. dicit: Omnis anima potestatibus excellentioribus subdita sit. Nā potestas nō est nisi à deo. Quæ uero potestates sunt, à deo ordinatæ sunt. Itaq; quisquis resistit potestati, dei ordinationi resistit. Qui autem restiterint sibiipsis iudicium accipient &c.

AN LICEAT REPVGNARE MAGISTRATUI. Item contra eos qui magistrati rebelles sunt.

S I M O N.

Dic Ioiada, si magistratus esset (ut sunt prohdolor pleriq;) qui recti, sani, & iusti nihil ageret, qui deo rebellis esset, bonos iniquis legibus premeret, iniuria afficeret, affectos iniuria non uindicaret & assereret, huic repugnare non licebit? An non Esaias malos magistratus fures nominat & latrones? Esa. 2. Christus potestatem tenebrarum? Paulus Ananiæ maledicit Acto. 23. parietem dealbatum eum nominans. IOIADA. Magistratui impio & malo scelera omnino ostendenda sunt, ut ab his ad meliora auertatur, idq; fieri debet modo tempestiue, modo intempestiue. Pauli factum non nihil occasionis habet. Tu Pauli similis fias, & factum deinde Pauli imitare. SIMON. Quid uero prodest si scelera

III.
TRACT.

*Impio magistratui
omnino scelera
ostendenda sunt
ut ab his ad meliora
auertatur*